

totid legem (populus scilicet), beatus est, » *g. d.* Beatus ergo et felix ille populus, qui legis Dei rationem habet, eamque observare studet. *Secundo*, *g. d.* Cum demerentibus hominum peccatis, ita per divinam ultionem fieri contigerit, ut propheta et sacra doctrina deficiat, et hominibus subtrahatur, certe tunc male erit illi populo: dissipabitur et distrahetur in varios errores, sectas, vitia et dissensiones. Est enim hæc vel maxima Dei ultio, et multorum in malorum in republica seminarium, quod subtrahat sinceram suam voluntatis annuntiationem. Unde per *Amos* cap. viii, minatur se missurum famem in terram, non panis, sed audiendi verbum Dei.

Tertio, noster Salazar per prophetiam, æque ac per legem, accipit veram religionem veramque Dei cultum, *g. d.* Si desit in populo prophetia, id est religio et veri Numinis cultus, continuo pax solvitur et in factiones plebs seatur, ruitque respublica. « Religio una, ait Philo in *Vita Mosi*, civium animos adstringit, et conturbantia societatesque confirmat. » Seneca, in *epist.* 93: « Primum, ait, militie vinculum est religio. » Livius, lib. V: « Omnia prospera eveniunt colentibus deos, adversa spernentibus. » Plinius, lib. XIV: « Religione vita constat. » Cicero, act. 3 in *Verrem*: « Omnes religione moventur. » Hæc « illa lux doctrinarum; » sic enim Cicero vocat Plinius, lib. XVII, cap. 7. Plavius Vopiscus, lib. II: « Romanorum respublica, ait, inter multorum imperia per religionem stetit. Qui vero custodit legem, beatus erit, » id est, populus veram religionem observans fortunatissimus erit, ut fere Hebræi quantum Deum verum sincere coluerunt, teste S. Augustino, libro III *De Civitate Dei*, cap. xxxiv.

Omnes hæc explicationes eodem tenentur.

Mystice nonnulli sic exponunt, *g. d.* Cum defecerit, id est expleta fuerit prophetia, id est oracula Prophetarum per ortum et mortem Christi, dissipabitur populus Judæicus, quia vastata a Tito Judæa dispergetur per totum orbem. Deficit enim prophetia quæ est de futuro, cum impletur et transit in præsens vel præteritum, juxta illud *Daniel.* ix, 24: « Impletur visio et prophetia, et ungitur Sanctus sanctorum. »

19. SERVUS VERBIS NON POTEST ERUDIRI, QUI QUOD DICIS INTELLIGIT, ET RESPONDERE CONTENIT. — Hebraice, quia intelligit, et non respondet, nec verbo, nec factu, id est non obedit, non facit quæ ei ab hero jubentur. Septuaginta, verbis non eruditur servus durus nam etsi intellexerit, non obedit; Syrus, scit enim se non esse verberandum, vel vincendum; Chaldeus, qui cognoscit jugum, nec patitur.

Servum ergo intelligit qui servili est indola, ut nil faciat nisi plagis et flagris adactus. Hinc servilis metus nomen accepit, qui nil facit amore boni, sed omnia timore mali, puta metu castigationis. Servus enim qui herum amat illique ex

amore obsequitur, non tam servus est quam her et libertus. Unde servus ille apud Euripidum in *Helena*, ait: « Nomen quidem non habeo liberum, sed animum. » Et ille apud Sophoclem: « Etsi corpus, ait, servum sit, mens tamen libera est. » Qualem proinde benigne ad hero tractandum esse docet *Ezech.* cap. xxxiii; nam cum vers. 28 dixisset: « Servo malevolæ fortitæ et compedes, » de benevolæ subdit, vers. 31: « Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta. » Vide ibi dicta. Servi ergo alii servile habent ingenium, sicutque hebetes et stupidi: hi docendi sunt quantum fert eorum capacitas; alii servilem habent voluntatem, puta duram, præfractam, rebellem, cuius proinde durities, inobedientia et rebellio plagis contundenda est. Huc facit adagium: « Phryx servili emendatur, » dici solitum in barbaros, servili ingenio homines, qui non pudore, neque monitis, sed verberibus redduntur meliores, cum contra generosus animus, ut ait Seneca, rectius ducatur quam trahatur. Phrygia enim nulla dabat mancipia. Unde proverbium: « Phrygiana mancipium. » Huc quoque facit illud apud Macrobius in *Saturnal.*: « Quot servi, tot hostes, » tum quia olim hostes victi captique servituti addebantur: unde vocabantur mancipia quasi manu capta, et hæc prima servitutis et servorum est origo; tum quia « dimidium mensis servus ademit Jupiter, » ut ait Homerus, *Odyss.* v, et ex eo Plato lib. VI *De Legibus*: « Nihil enim inlegitum, ait, neque sanum habet animus servilis. Nam nihil oportet credere his hominibus qui sapiat; si quidem Poeta doctissimus ait:

Dimidio mensis depravat Juppiter illos,
Servilis quoscunque viros sors cepit unquam.

Tum quia, sicut verus amor libertatis est alumnus, sic merus timor servitutis est assecla: odit enim quisquis metuit. Unde genuinum quoddam odium insitum videtur servis in dominos. Hinc Euripides in *Alceste*: « Quisquis, ait, fidem habet servo, perquam stultus esse videtur. »

Quocirca sapienter Philo hic monitum dat servis libro *Quis divinarum rerum heres?* « Est, ait, servi laus maxima, nil ex jussis dominicis contemere, » ad impigre industrieque vel supra vires conari cuncta exsequi ex illius animi sententia. Servi etiam audire debent potius quam loqui, ad quos nimirum dicitur: Tace et audi; præceptum pulcherrimum. » Unde, ut idem ait: « Nemo tam insanit, quam qui servus cum sit, domino adversatur; » eum enim contra se irritat, itaque non nisi probra et flagra sibi accersit. Vide monita quæ hæc de re servus dat S. Paulus *Ephes.* vi, 5; *Coloss.* iii, 22; et S. Petrus, I *epist.* ii, 18.

Symbolice S. Augustinus, *epist.* 48 et 50, per servum accipit hereticum, qui suæ imaginationi et heresi se mancipavit et servum addidit. Unde ex hæc gnome probat hæreticos, quia verbis et

argumentis credere nolunt, panis cogendos, ut fidem Orthodoxam, quam perfide deseruerunt, resumant. Sic enim ait, *epist.* 50: « Proponunt nobis, ait, quidam sententiam secularis auctoris (Terentii in *Adolphis*) qui dixit: Pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu. Hæc quidem verum est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor. Nam, ut de ipso auctore istis respondetur, apud illum etiam legitur: Tu, nisi malo coactus, recte facere nescis. Porro autem divina Scriptura et propter illos meliores dixit: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Et propter hos inferiores, qui plures sunt, ait: Verbis non emendabitur servus durus; si enim et intellexerit, non obedit. Cum dixit verbis eum non emendari, non eum jussit doceri, sed tacite admonuit unde debuit emendari. Alioquin non diceret: Verbis non emendabitur, sed tantummodo diceret: Non emendabitur. »

Rursus Beda: « Servus, ait, est quilibet peccator recte quidem intelligens, sed in opere veritatis absque flagelli disciplina respondere contemptens. De talibus ait Veritas: Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, digne plagis vapulabit multis, » *Luce* xii.

20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQUENDUM? STULTITIA MAGIS SPERANDA EST, QUAM ILLIUS CORRECTIO. — « Homo velox ad loquendum, » ait Beda, Hugo, Lyranus, Cajetanus et alii, est garrulus, futilis, vaniloquus, qui præcepit est et prurit ad loquendum; unde effluit quicquid ei in buccam venit; quare stultitia magis speranda est, quam correctio, quia multa dicit futilia, vana, inepta, quæ ejus stultitiam indicant et adaugent, tum quia iis quæ dicit, totus intendit, nec alios sinit suum sermonem interrumpere; quare eorum correptionem non audit, nec curat. Hanc causam dat Beda: « Grave quidem, ait, vitium stultitie, sed non levius verbositas. Nam sæpe contingit ut idiotæ aliquis citius verba salutiferæ correptionis accipiat, quam is qui, affluentia præditus sermonis, magis sua quæ novit, vel quæ nosse autumat, jactanter proferre, quam dicta sapientum audire contemdit, » *g. d.* Talis est incorrigibilis, quia sibi placens, totus suis quæ loquitur, intendit: quare aliorum monitis quibus corrigetur, attendere nequit.

Secundo et polius, « homo velox ad loquendum » est, qui sibi præ aliis sapere videtur, ideoque quavis re proposita suum iudicium præcipitanter interponit et anteponit cæteris; quare eorum sententiam non expectat, nec rem satis examinat et considerat, sed sententiam præcipitat: quo fit ut sæpe ea dicere et docere velit, que non didicit et nescit, eaque deinde tueri velit, nec sinit se corrigi. Quocirca a tali nil expectandum, nisi ut stultitiam suam magis magisque loquendo prodat, imo multa parerga, absurda, falsa, stulta pro-

ferat, ac magis stultascat. Hæc enim gnome est eadem cum illa cap. xxvi, 12: « Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. » Ibi enim causa indicatur, scilicet quod sibi sapiens videatur; his vero effectus notatur, scilicet quod sit velox ad loquendum, ideoque stultus et incorrigibilis. Talem S. Jacobus moret dicens, cap. i, 40: « Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum; » et *Ezech.* cap. iv, 34: « Noli citatus esse in lingua tua; » et cap. xix, 28: « Est tacens, et ipse est prudens; » et cap. xx, 5: « Est tacens, qui invenitur sapiens; et est edibilis, qui prociac est ad loquendum. »

Hoc vitium se detestatum esse scribit Nazianzenus, orat. 1 *Apolog.*: « Hæc cum nobiscum, ait, ipsi, non pessimis fortasse consiliariis, benevolis quidem certe collocti, præstabilis esse duximus, cum ea quæ dicenda et facienda essent nesciremus, ea discere, quam noscences docere. Præclare enim cum eo agitur, qui vel in profandam senectutem eorum sermo veniat, eamque vim habens, ut recenti adhuc in pietate animæ adjumento esse possit. » Causam subdit: « Nam certo alios docere aggredi priusquam ipsi satis edocti, valde stultorum aut temerariorum hominum esse videtur: stultorum quidem, si ne insilliam quidem suam cognoscant; temerariorum, si cum eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur. »

Audi Nesterotem Abbatem apud Cassianum, *Collat.* xiv, cap. ix: « Esto ergo per omnia citus ad audiendum, tardus autem ad loquendum, ne cadat in te illud quod notatur a Salomone: Si videris virum velocem in verbis, scito quia spem habet magis insipientis quam ille. Nec quemquam verbis docere præsumas, quod opere ante non feceris. Hunc enim nos ordinem tenere debere etiam exemplis suis Dominus noster instituit, de quo ita dicitur: Quæ cepit Jesus facere et docere. Cave ergo ne ante actum prosiliens ad docendum, in illorum numero deputeris, de quibus in Evangelio Dominus ad discipulos loquitur: Quæ dicunt vobis, servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. »

STULTITIA MAGIS SPERANDA EST, QUAM ILLIUS CORRECTIO. — *Primo*, aliqui sic exponunt, *g. d.* Magis speranda, id est timenda et expectanda est ejus stultitia, quod scilicet fiet stultus, quam quod corruptus sese corriget. Sic sperare pro timere sumitur per catachresin apud Virgilium, I *Æneid.*:

Si genus humanum, et mortalia tennis arma,
Ad sperale deos memores fandi atque nefandi.

Ubi Servus: Sperate, inquit, id est timete abusive. Idem, lib. IV *Æneid.*:

Hunc ego si posui tantum sperare dolorem:

dolor enim non speratur, sed timetur; spera-

mus enim bona, timemus tristitia et adversa.

Secundo, alii, q. d. Ab homine ad loquendum veloci, si quem monere aut corrumpere debeat, potius speranda et expectanda est stultitia quam vera utilitas correptione, ut scilicet aduleter potius quam corripitur, aut exasperet quam emendet delinquentes. In tanta enim profusione et velocitate verborum multa improvide miscet, quae aduleter vel exasperent.

Tertio, alii, q. d. Plus sperandum est de stultitia, quam de velocis ad loquendum correptione, hoc est, plus efficiet in corripiendo stultitia, quam loquacitas, puta stultus quam loquax. Stulto enim si quid effuliat inepte, condonatur, quia stultus est; si quid dicat apta, excipitur cum plausu: at loquax, qui sapit, nihil condonatur.

Quarto et genuine, correptione sumenda est passiva, non activa, q. d. Majorem de se correptionis spem probet stultitia, quam velocitas ad loquendum, puta loquacitas: stultitia ipsa in stultis hominibus majorem de se exhibet spem, quod corripi, et per correptionem corrigi se sinet, quam exhibeat spem velocis ad loquendum correptione et correctio. Hoc est, stultus facilius corripitur et corrigitur quam velocis ad loquendum. Ratio est, quia stultus necesse est stultum, unde ostensa sibi stultitia eam damnabit, et sapientiam a sapiente exhibitam amplectetur. Ita R. Levi: Stultus, ait, sua stoliditate animadversa, consilio in suis negotiis utilis; sed praecipue neminem consultit, tum sibi satis superque sapere videatur. Hic ergo neminem audit, sed omnes praese spernit, quasi sapientum octavus, imo primus: scilicet enim se plus omnibus sapere, ideoque incorrigibilis est. Sic et Auctor *Catena Graecae*: « Velox enim, ait, et praecipue ponit id esse quod non est, atque ideo ab illius quod est, spe alienus est. De stulto autem spes est fore, ut stultitiam aliquando deponat, nempe ubi de veritate edoctus fuerit. »

Hinc esse sensum liquet primo, ex Hebraeo, qui sic habet, spes stulto est praese illo; Chaldaeus, melior est spes de stulto, quam de illo; Syrus, scito hoc meliorem esse stultum; Septuaginta, cognosce quia spem magis habet insipiens. Secundo, ex cap. xxvi, 12, ubi haec gnome sic offertur: « Vidisti hominem sapientem sibi videri magis illo spem habebit insipiens. » Tertio, quia Codices manuscriptorum, Rabanus et Beda pro stultitia legunt stultitiae in genitivo, hoc modo: « Stultitiae magis speranda est, quam illius correptione, » hoc est, facilius speres stultitiae stulti, quam velocis ad loquendum, correptionem et correctionem: que lectio saepe plana est, planisque respondet Hebraeo, Chaldaeo, Syro et Septuaginta. Hinc Isidorus Clarus hanc gnomen sic emendavit: « Stultitia magis speranda est, quam illius correptione; » ita Janesius, et Franciscus Lucas in *Notat.* hic, num. 189.

Remedium verbositatis et velocitatis ad loquendum opportunum suggerit S. Gregorius. lib. VIII

Moral. ii, nimirum libram rationis et praemeditationis, ut illa pensemus que dicere cogitamus, ne si id negligamus, auditores illa pensent et reprobent. « Is qui loquitur, ait, de verbis suis auditoris sententiam exspectat, et quasi ejus iudicio supponitur, a quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit, qualenus inter cor et linguam aequus quidam discretusque arbiter sedeat, subtiliter pensitans si verba recta cor offerat, que utiliter suscipiens ad auditorum iudicium lingua perducat. » Et post pauca sic scribit: « Si in eo quod ad nos per gressum locutionis tenete, ut tanto foris quod dicitur ex veritate pondere placeat, quanto hoc interius trutinam discretionis pensat, » q. d. Tibi ipsi esto verborum tuorum libator, ne si quid impraeditatum et inconcinnum effutias, prudens auditor eorum sit libripens, eaque exacte ad libram iudicii expendens, ut futilla, insulsa, stulta reprobent, rideant et condemnent. Plura de hac libra dixi *Ecdi.* xxviii, 29, et cap. xix, vers. ult., et initio cap. xxiii. Apposite Platarchus, lib. *De Offic. auditoris*, praecipit ad loquendum comparat puerperis abortientibus, quae ante tempus foetum emittunt, ideoque imperfectum, manum, debilem et parum vitalem: sic enim precipitatio loquendi, sermonis non tam partus et ortus, quam abortus est; ideoque mutila, hinc, futilla et inepta effundit, imo effutit. Item gallinis praepropere ova parientibus: haec enim ova edunt subventanea, id est evanida et sterilia. Sic enim verbositas evanida est et sterilia, nullumque fructum afferit dicenti vel audienti.

21. QUI DELICATE A PUERTIA NUTRIT SERVUM SUUM, POSTEA SENTIET EUM CONTUMACEM, — ut obsequia heri detrectet, imo velit haberi et tractari quasi filius, adeoque esse heres heri sui. Hoc enim significat hebraeo מָנוֹן manon, id est arrogans sibi jus filiationis: פֶּטֶל petel enim est filius; unde Hispanice *niño*. Unde Tigurina vertit, postremo jus filiorum occupare molietur; Vatablus, novissime ejus erit filius, id est, volet haberi pro filio; Pagninus, in novissimo erit superbus pervenit ad filium, imo litem movere poterit filius, ut cum ipsis sit heres, allegans jus praescriptionis, quod scilicet a puero altus et habitus sit quasi filius, itaque facile a patre sit adoptatus, ac tanto tempore jus filiationis et hereditatis praescripserit. Sic Siba servus Miphoboseth filii Saulis, indulgenter ab eo habitus, partem hereditatis ejus invasit, dum herum apud Davidem accusando, ab eo eandem obtinuit. Il *Reg.* xix (1).

Significat ergo haec gnome, ait Jansenius, cum qui servo suo nimis est familiaris, nimisque indulget, deliciis ciborum eum nutrens, et vestitus splendore ornans, ac otium ei permittens, postea

(1) Ewaldus manon vertit ingratus, coll. arab. מָנוֹן .

pro praestitis beneficiis experiri illum sibi magis rebellem; proinde subindicit proverbium patrefamilias diligenter circumspicere debere, ut sic a principio agant cum servis suis, ut sibi quam maxime utiles et morigeros habeant. Indicat item proverbium eo עַוְוִי ignobilis sunt conditionis et animi, prosperam fortunam ferre non posse, eaque abuti ad inscientiam et superbiam. Videre est illud in populo fudaeo, qui cum servilis esset conditionis, de servitute Aegyptiaca liberatus, post multa ac magna beneficia, quibus ab exitu de Aegypto fuit affectus, factus est contumax et rebellis, juxta vaticinium Moysis in suo cantico: « Incrassatus est dilectus, et recalcitavit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo, » *Deuter.* xxxii, 15.

Salomonem secutus Siracides, cap. xxxiii, 25, de servis ita sancit: « Cibaria, et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo; » ubi plura haec de re dixi. Quin et Plato, dialog. 6 *De Legibus*, docet durius tractandos servos, ne molliores fiant: « Allocutio omnis, ait, ad servos quodam modo imperium sit, neque jocus ullus cum illis habeatur; quod multi stulte facientes, dum delicatis eos nutriunt, difficiorem viam et sibi ad imperandum, et illis ad obediendum reddunt. »

Septuaginta pro מָנוֹן manon videntur legisse מָנוֹן manon, id est dolor, q. d. Erit hero dolori, sicut Benjamin mater moriente natus, inde vocatus, sicut Benjamin dicitur, id est filius doloris. Septuaginta ergo sic vertunt, qui delitatur pueri, famulus erit; novissime autem dolebit super se. Sicut doluit filius prodigus, cum post consumpta bona in deliciis et luxuriis, coactus est mendicare et pascere porcos, *Luc.* xv. Et Chaldaeus, qui delicis indulget a pueritia, servus evadet, et ad extremum evertetur; Syrus, ad extremum gomet; Symmachus, et in novissimo erit murmuratio. Huc facit quod scribit Celsus, lib. IV: « Caducus morbus, ait, pueris ex deliciosa educatione contingere solet. » Denique Septuaginta nomen forte acceperunt quasi conflatum ex מָן man, id est pars, vel manna, et מָוֶן mo, id est dolor, q. d. Qui delicate se nutrit, tandem pars et sors ejus erit dolor, hoc est, incidet in morbos, egestatem, aerumnas aliosque dolores. Aut manna, id est dulces ejus deliciae fient dolor, id est vertentur in dolores; littera enim *aleph* quae est in מָוֶן mo, quia quiescens, saepe eliditur et omittitur.

Tropologica, servus animae est corpus: qui ergo illud delicate nutrit, sentiet illud sibi contumax et rebelle, ut suis deliciis addictum nollit animae obsequi ad orandum, mediandum, ceteraque opera penitentiae et virtutum arduarum obsequium; sed potius animae domiari velit, illamque trahere ad suas cupidias. Dicit ergo animi sui cultor, liber et dominus, cum Philosopho: « Ad majora natus sum, quam ut me

corporis mei mancipium efficiam; » et: « Magna corporis cura, magna virtutis est incuria. » Crates, teste Maximo, *serm.* 27, conspiciat adolescentulum athleticum vino, carne et exercitatione corpulentiore: « O miser, ait, desine adversus temetipsum carcerem munire. » Ibidem Diogenes ait: « Quibus in edibus magna est ciborum copia, ibi multi solent esse mures et felis: sic ea corpora, quae multum cibi capiunt, solent plures morbos contrahere. » Ibidem S. Basilus: « Venter, ait, est perfidus meretor (graeco *εὐνοδία*), id est permutator, qui cum alio contrahit, paciscitur, vel merces commutat, penus nihil conservans: multarum rerum apparitorum incommo-dum retinens, res ipsas autem non conservans. » Rursum S. Basilus apud Antonium in *Melissa*, part. II, cap. xxxix: « Cum corpus, ait, bene habitum est, et multa carne gravatum, necesse est infirmum et imbecillum esse mentem ad proprias functiones; contra cum anima bene habeat, et exercitatione rerum honorum ad suam magnitudinem attollitur, consequens est ut corporis habitus emarcescat; » sicut emarcuit in ipsomet S. Basilus, qui orationibus, studiis, jejuniis attritus, nihil in corpore praeter pellem et ossa habere videbatur. Pergit S. Basilus: « Robur Satanae, ait Job, cap. xl, in lumbis situm est, et potentia ejus in umbilico ventris. » Ibidem S. Chrysostomus: « Frugalitas, ait, et alimentum est, et voluptas, et sanitas; nimium vero noxam, fastidium et morbum gignit. » Sapienter vero Nazianzenus cum suo corpore ita disserit, *orat.* 16: « Cui quoniam modo conjunctus sim haud equidem scio, quoque pacto simul et imago Dei sim, et cum ceno voluter. Quod et cum pulchra valetudine est, bello me laessit; et cum bello premittitur, merore me afficit. Quod et uti conservum amo, et veluti inimicum odi atque aversor. Quod et uti vinculum fugio, et uti cohaerens vereor; si debilitare illud et conficere studeo, jam non habeo quo socio et opitulatore ad res praerclarissimas utar; sin contra, ut cum socio et adiutore mitius agam, nulla jam ratio occurrit, qua rebellantis impetum fugiam, alique a Deo non extraham; compediibus degravatus, vel in terram detrahentibus, vel in ea delinquentibus. Hostis est blandus et placidus, et insidiosus amicus. O miram conjunctionem et alienationem! Quod metuo amplector, quod amo perimesco. Antequam bellum gesserim, in gratiam redeo; antequam paece fruatur, ab eo dissideo. » Qui ergo sapit, carnem suam edomet jejuniis et cibus, ac S. Paulum imitetur dicentem: « Castigo corpus meum, et in servitutum redigo, ne forte, cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiam, » 1 *Cor.* ix, 27.

22. VIR IRACUNDUS PROVOCAT RIXAS: ET QUI AD INDIGNANDUM FACILIS EST, ERIT AD PROCAUNDUM PROCLIVIOR. — Hebraice, vir nati miscibit litem, et auctor excedensentiae multus praevariatione; Chaldaeus, et viri furiosi multa sunt peccata; Septuaginta,

vir indignabundus suscitavit contentiones, et vir iracundus effudit peccatum. Pro suscitavit legunt aliqui codices *ipocam*, id est *fodit rivum*; Symmachus, *irritat pugnam*; Syrus, *iracundus multiplicat peccata*. Perperam R. Salomon accipit rixas Dei, q. d. iracundus Dei iram et iudicium in se adversabit. Non enim agit hie de ira Dei, sed de rixis hominum, quas iracundus provocat.

Prius hemistichium, audivimus cap. xv, 18: posterius idem quod prius dicit, sed illud aliis verbis repetit et exaggerat, nimirum quod indignabundus proclivis sit ut ruat in multa peccata cordis, oris et operis: cordis, scilicet in internas murmurationes, exardescencias, impatientias, cogitationes vindictae, etc.; oris, scilicet in clamores, iurgia, convicia, lites, maledicta; operis, scilicet in pugnas, rapinas, caedes, etc. Hoc est quod ait S. Jacobus cap. 1. 20: « Ira viri iustitiam Dei non operatur, sed omnem injustitiam et iniquitatem diaboli, qui totus ardet ira, et omnes ad iram succendit. Unde Nazianzenus in Carmine De Ira:

Irascor, ait, ire, demoni intus copulato.

Iratus enim videtur esse demon incarnatus: nam ita sesevit, clamat, furit, pugnat, etc., ac si non homo, sed demon esset. Nam, ut ait S. Ephrem, tract. De Virtutibus et vitiis, § De Iracundia: « Ex ira mens perturbatur, sensus debilitatur, et cogitationes vindictae fluminis instar scaturiunt. »

Porro Septuaginta vertunt, *vir iracundus effudit peccatum, ubi effudit magnam habet energiam et emphasis*. Sicut enim fossor qui effudit terram, ut thesaurum vel rem reconditam eruat, profunde fodit, et nullum terrae fodiendo exhaurit, donec ad thesaurum perveniat: sic pariter iracundus profunde cogitat et scrutatur tum gravitatem injuriae sibi factae, tum gravem et condignam ejus ultionem: quare multos irae, superbiae, invidiae motus ex corde irato quasi effudit, ac multas vindictae rationes et modos comminiscitur, donec ad commodum et condignum vindictae modum in quo acquiescat, perveniat. Rursus iracundus contumeliam vel injuriam sibi olim illatam, et longa oblivione sepultam demersaque erudat, atque iterum iterumque memoria repetens ulciscendi libidinem, illa recordatione incitat et exauget: imo irae indulgens, alia etiam delicta et crimina quaelibet oblivioni jam tradita, renovare velut effodiendo, eique, cui irascitur, in faciem obicere et exprobare solet. Ita Salazar, Baymus, Jansenius et alii. Unde haec phrasae effodiendi in ira vertuntur Belgae, Germani caeteraque nationes, dum dicunt iracundum effodere et eruere veteres injurias, oblivione jamdum obrutas.

23. **SUPERBUM SEQUITUR HUMILITAS** (non que sit voluntaria et virtus, sed involuntaria et coacta, que sit poena, puta humiliatio, depressio, villisio), et humilis spiritu suscipiet gloriam. — *Verbo hebraea superbia hominis humiliabit eum,*

et humilis spiritu assequetur gloriam; Chaldaeus, et qui submissus est spiritu, dividit gloriam: Septuaginta, contumeliam virtum humiliat: humiliter irruent sentientes firmat gloria Dominus; Syrus, demisso humilitas honores multiplicat.

Pro suscipiet hebraice est *יִתְקַבֵּל* *itokbel*, id est sustinebit, sustentabit, q. d. Humilis etiam cum deprimetur, sustinebitur, et honore polietur; vel qui animo est demisso, a divina gloria sustinebitur, ait Aben-Ezra. Gloria ergo humiles suscipit, id est sursum capit et rapit sursum, elevat ad altos honorum gradus, et elevatos ibidem reficit, ne quo casu dorsum labantur. Unde R. Salomon: Animo submissus, ait, proxime accedit ad gloriam, illamque semper fovet, vel potius ab ea fovetur. Est prospopoeia: gloria enim hic inducitur quasi persona, puta quasi agnoscens humilibus in agone humilitatis strenue decertantibus, attribuens suum decus et lauream, imo suum gradum et locum, scilicet, ut ad excelsum gloriae gradum throneumque eleventur, in eoque secum una coequant. Pariles enim comites sunt et asseclae, gloria et humilitas, atque ex adverso ignominia et superbia. Unde superbia hic inducitur quasi iudex vel carnifex superbium humilians et dejiciens. Sicut igitur aquila pullos suos alit, exipit elevando in altum, atque ibi delinet et sustinet ne prolabantur: sic pariter gloria alis humilisque suis exipit, et in altum elevat humiles, ibique sustentat et firmat, ne quis casus eos deprimat.

Huc alludit versus Salomon Christus Dominus dicens: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » Luc. xiv, 11. Nihil hinc sententia in re verius, nihil tamen in praxi difficilius. Scimus, imo credimus, omnes quotquot fideles sumus, Salomoni et Christo, asserentibus viam veram et securam ad gloriam esse humilitatem, viam vero ad ignominiam esse superbiam; et tamen conamur eniti ad gloriam superbe nos nostraque ostentando et magnificando, humiliare vero et deprimere amulos nostros, et sic confitemus ignominiam: cum juxta hanc Salomonis et Christi gnomen, haec ratio nobis per superbiam conciliemus ignominiam, humilitatis vero gloriam, saepe in hac vita, semper in futura. Quantis hic error, quanta abusio filiorum ADAE! ait S. Bernardus.

Denique haec gnome concinit cum illa cap. xvi, 18: « Contritionem praecedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus; » et cap. xviii, 12: « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; et antequam glorificetur, humiliatur. » Vide utrobique dicta. Ratio est justum Dei iudicium, qui justa congruaque talione superbos castigat depressione et ignominia, humiles vero praemiis celsitudine et gloria.

Septuaginta vertunt, *spiritu humiliter gloria firmat Dominus, dum scilicet eos continet in humilitate, ne per gloriam sumeriant, itaque utramque per-*

tant; sed ut, quanto sunt gloriosiores, tanto fiant et humiliores, utpote qui gloria se indignos et confusione dienos autumant, omnemque suam virtutem et gloriam uni Deo Deique gratiae adscribunt. Chaldaeus vertit, et qui submissus est, dividit gloriam, id est tam copiosam recipit gloriam, ut eam cum aliis dividere queat, imo optet et velit. Superbi enim indoles est, omnem gloriam sibi soli servare, imo alienam rapere et sibi attribuere: humilis vero indoles est, gloriam suam aliis cedere, eamque cum aliis partiri et dividere, aliosque gloriae suae socios assequere, ejusque participes efficere. Syrus, demisso humilitas honores multiplicat, q. d. Una humilitas multos parit honores: honoratur enim a Deo, ab Angelis, ab omnibus hominibus, idque non uno, sed multipli honore, tum temporali, tum aeterno. Rursus humilis sicut multiplicat humilitatis actus, sic per eos adauget et multiplicat sibi gloriam: nihil enim ita gloriosum est atque praecleara agere et humiliter de se sentire; hoc enim proprium est gloriae obiectum. Quocirca humilis quo praecleariora agit, eo humilior de se sentit, eoque maiori laude et gloria dignum se efficit.

Nota: Primus hujus axiomatis, quod Deus superbus humiliet, et humiles exaltet, auctor fuit S. Job, cap. xxii, vers. 21, dicens: « Qui humiliter fuerit, erit in gloria; et qui inclinaverit oculos (humiliter enim demittunt oculos ex demissione animi), ipse salvabitur. » Idem confirmat hie Salomon, et Christus Luc. xviii, cap. 14, et B. Virgo canens in suo *Magnificat*: « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » Hic ergo quatuor hominum sapientissimi hanc gnomen asseverarunt, ut eorum testimonio cedat et convincatur omnis hominum incredulitas et diffidentia. Humilem igitur spiritu in summ hospitium, imo throneum, excipiet gloria, praesertim cum Deus Angelis, imo Seraphinis (quibus insertus est humillimus S. Franciscus) cum inseret, ac in caelo et terra toloque mundo, etiam inferno, illustret et gloriosum efficiet. Sunt enim superbia et humilitas quasi duae lanceae, quarum si superbia ascendat et crescat, homo decessit et descendit; si vero humilitas descendat et se deprimat, homo in magnam dignitatem ascendit. Exemplo sint primi utriusque choragi et assignani S. Michael et Lucifer. Lucifer enim arroganter dicens: « In caelum conscendam, etc., similis ero Altissimo, » Isaie xiv, 13, mox audit, vers. 13: « Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacus; » Michael vero humillime dicens *לֹא יָדָוּ מִי עֵלָי*, id est, quis ut Deus? primatum inter angelos et throneum Luciferi occupavit. Eamdem decum suorum sortem expectent humiles, qui militant sub vexillo S. Michaelis; et superbi, qui militant sub signis Luciferi. « Ipse enim est rex super universos filios superbiae, » Job xli, 25.

Exemplum illustre suggerit hodierna dies 26 Novembris qua recolimus memoriam S. Petri

Patriarchae Alexandrini et Martyris, qui singulari sua humilitate et charitate meruit primo, honorem et amorem Iosius pepulit, ut pro eo e carcere liberando contra praesidis exercitum depugnaturus fuisset, nisi ipse modum mortis sententiam contra se latam in seculo populo exsequendi, Praesul suggestisset. Secundo, memuit martyrium, ut Christus illi apprensus illud ipsi praesignificaret, ac simul instantem Arit heresim rovelaret. Tertio, ut in morte suis oculis audiretur vox: « Petrus primus Apostolorum, Petrus ultimus Martyrum » inter Episcopos Alexandriae. Quarto, ipse quoad vixit Patriarcha, in Ecclesia praes humilitate nunquam in throneo patriarchali considere voluit, sed in ejus duntaxat scabello, quod throno se indignum diceret, in quo sederat S. Marcus totique sancti Patriarchae. Unde meruit ut ejus corpus post mortem in eodem throneo a fidelibus collocaretur: sedit ergo in throno jam Martyr, qui non sederat Episcopus. Quod quantumque hie ejus gloria! Omitto enim eas quas in caelis recepit.

21. **QUI CUM FURE PARTICIPAT, ODIT ANIMAM SUAM: ADJURANTEM AUDIT, ET NON INDICAT.** — Hebraice, *exseverationem audiet, et non annuntiet*; alii legunt, *perjurium audiet, etc.*; Chaldaeus, *jurjurandum deseruit ei, et non confitebitur*; Septuaginta hunc versus cum sequenti sic necant: *Qui participat furi, odit animam suam; si autem juramentum propositum audientes non annuntiantur, timentes et reverenti homines supplicant sicut; qui autem confidit in Domino, testabitur. Supplantati sunt, id est supplantantur aucto certo, ac si jam supplantati essent, certo subvertentur, ut habent Complutenses Regiiel Auctor *Catenae Graecae*.*

Passim Interpretes simpliciter et plane hanc gnomen accipiunt de furis socio, qui forti est participes. Sunt enim nonnulli adeo hebetes vel cupiditate caeci, ut putent, vel putare et sibi persuadere velint, furari quidem esse peccatum; at ubi jam res furto subrata est, sine peccato a se usurpari posse, quod jam extra hiri potestatem sit: imo satius esse ut illa a se innocente quam a fure nocente, qui eam injuste rapuit, occupetur. Hunc errorem convellit hie Salomon, docetque tam ream esse furi socium, qui participat in furto, quam furem qui furiam committit. Ratio est, quod furi et furto cooperetur. Idem est in alio quovis scelere; qui enim participat in scelere, sceleris et sceleris cooperatur, ac proinde et ipse scelus committit, et sceleris est. Sensus ergo est, q. d. Qui cum fure rem furto ab eo sublatam partitur, odit animam suam, quia pro exiguo lucro temporali animam suam maculat peccato furto, illamque ream facit gehennae, ac insuper infamiae, et poenae temporariae a iudice infligendae eam obnoxiam reddit.

Varis autem modis quis partiri potest cum fure: nimirum, primo, si herus mittat famulum vel filium ad furandum, ut se ditet; secundo, si cum fure habeat societatem ad furandum; ac si enim

in nonnullis locis et urbibus societas furum, sicut est mercatorum, in qua sicut hi lucra, sic fures cum sociis furta dividunt; tertio, si furi prebeat roem futum, puta hospitium, ad quod divertat, ut securus furetur; quarto, si rem a fure sublatam dividat et distrahat, ut nummos conficiat.

ADJURANTEM AUDIT, ET NON INDICAT. — Est haec alia ratio cur patiens cum fure oderit animam suam, quia scilicet violat justitiam et iudicium publicum, ac saepe est perjurus. Audit enim adjuramentum iudicem legitime et iudice, ut indicet furem ejusque socios et participes, et tamen non indicat, ne se ipsum prodant. Index dupliciter adjuratur: primo, cum eum quem citat cogit jurare quod non sciat quis rem furatus sit, quique ejus sint socii. Unde Chaldaeus vertit, *iusjurandum deferretur ei, et non fatetur*; et Septuaginta, *si autem proposito juramento non amnitiaverint, timentes et verentes ipsos homines, supplantabuntur*. Secundo, cum reum, v. g. furem ejusque socios, metu religionis violandae, aut ultionis vel maledictionis divinae incurrandae, sub obstaculo nominis divini adigit et astringit ad dicendam veritatem, an scilicet rem furati vel inter se partiti sint, hoc enim proprie est aliqua adjurare. Quare res legitime a iudice adjuratus, tenetur dicere veritatem. Unde Tobias, cap. ix, vers. 3, ait Raphaeli: « Vides quomodo adjuravit me Raquel? cuius adjuramentum spernere non possum. » Sic Caiphas adjuravit Christum, dicens: « Adjure te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. » Unde Christus non tam metu iudicis, utpote qui non suberat, quam reverentia nominis divini, per quod adjurabatur, illico respondit se esse Christum, *Matth. xxvi, 63*. Similis erat adjuratio adulterae in lege veteri, *Num. v, 19*. Quare minus recte et frigide Pagninus et Vatablus vertunt, *audit exsecrationem, et non indicat, q. d.* « Qui participes est furii, male audit ab hominibus, qui eum exsecrantur, nec audent conquiri se male audire. »

Secundo, aliqui per patientem cum fure accipiunt testem: unde ex Hebraeo sic vertunt, *patientem cum fure, odians animam suam; adjurationem audit, et non amnitiabit, q. d.* Testis adjuratus a iudice ut prodant furem, si eum non indicet, sed celet et abscondat, censetur partiri cum fure, et odire animam suam, tum quia gravi perjurio animam vulnerat, tum quia in causa est ne furtum prolabeatur, ac ne domino res sua restituatur: utrumque autem satis est ut in ipsius furii consortium vocetur, censeturque cum fure dividere, et rei furta esse participes. Huc quoque vocari possit Vulgata versio, si nonnulla suppleas, hoc modo: « Qui cum fure participat, odit animam suam. » Talis autem est testis, qui iudicem « adjurantem audit, » ut furem prodant, et

(1) Respiciatur quae *Levit. v, 4*, habetur *lat.*

tamen « eum non indicat. » Verum hic sensus multa supplet, quae non sunt in textu. Quare prior sensus, ut simpliciter et planior, sic et germanior videtur, nec ideoque facit et mavet: sed sum habet usum. *ziam vi et pondus*, etc. licet ex dictis. Unde eundem furii socium increpans Salomonis pater David, ait: « Si videbas furem, currebas cum eo, » *Psalm. xlix, 18*.

25. QUI TIMET HOMINEM, CITO CORRUET: QUI SPERAT IN DOMINO, SUBLEVABITUR. — Hebraice, *pavor vel tremor hominis dabit laqueum, et fideus in Domino elevabitur*; Chaldaeus, *cahunnia filii hominis accersit ei offendiculum, et qui sperat in Deo, roborabitur*. Septuaginta hanc versum neclunt praecedenti, ut paulo ante dixi. Unde hanc gnomen iterato quasi separatam sic efferunt: *Impietas* (qua quis magis hominem veretur quam Deum, ideoque in quolibet scelera, etiam heresis et idolatriae prolatur) *dat prolepsionem*; qui autem confidit in Domino subleabitur; Syrus, *magnus erit*. Aben-Ezra tripliciter explicat: primo, *q. d.* « Sperantem in se Dominus a timore inficiente subleabit; » secundo, *q. d.* « Dominus timore eum percellet, laqueisque implicabit, quos pauperibus irrefendis collocat; » tertio, *q. d.* « Timore anxium, nec in Deo spem suam collocantem, mala quae formidabit, deprehendent. » R. Levi, *q. d.* Formidolosus incidit in hominem scelere, qui ejus formidinem animadvertens, et a circum perniciem inferet. Verum timor hominis hic non active, quo scilicet hominem quippiam timet et formidat, sed passive, quo scilicet homo timetur et formidatur, accipiendus est; unde Noster vertit, *qui timet hominem*, sic et Septuaginta. Loquitur de timore nimio et inordinato, quo quis adeo timet hominem, ut ejus metu legem Dei deserat, et peccet, malitque Deum quam hominem offendere. Qui enim sic timet hominem, in gravia mala corporis et animae corrueat, a quibus liberabitur is qui timet Deum magis quam hominem, et in Deo spem suam collocat. Nervosa ex Hebraeo vertit Vatablus, *pavor hominis injicit laqueum* (pavido); *qui autem confidit in Domino, exaltabitur*. Exaltari est servari quasi in aere et loco sublimi. Est metaphora sumpta a militibus, qui, imminente hoste, sese in loca alta recipiunt, quasi ad tutum confugium et asylum; tale enim est Deus sperantibus in se, et ab hominibus quos timent, confugientibus ad se. Unde David Deum saepe vocat *צור* *misgab*, id est altitudinem, exaltationem, locum editum et hostibus inaccessum, munitionem altiore, quam ut transcendere vel capi possit; refugium tempore persecutionis aut belli, ut *Psalm. xvii, 3*: « hominum firmamentum bellum, et refugium mentis, et liberator meus; » et vers. 17: « Misit de summo, et accepit me, etc., eripuit me de inimicis meis fortissimis. » Deus enim sperantes in se servat, et omnem timorem hominum ab illis propulsat, ac mala quae ab eis vel aliunde quomodolibet timeri poterant, plane dissipat:

ut dispulsa Davide mala et necem quam ei identidem machinabatur Saul.

Antithesis exigebat ut diceret: « Qui timet Dominum; » sed maluit dicere: « Qui sperat in Domino, » quod spes semper juncta sit timori; Deo autem gratior est spes in illum erigens hominem, quam timor deprimens. Sic pariter pro *qui timet hominem*, dicere potuisset: « Qui sperat in homine, cito corrueat: » hi enim duo affectus, puta spes et timor, sunt comites individui, unaque ex alio nascitur; spes enim acquirendi bonum ab aliquo, parit timorem eum ostendendi, ne bonum ab eo sperato privetur.

Pavor ergo homini paventi est laqueus, qui eum stringit, illaqueat et quasi strangulat, tum quia illi causa est ut Deum offendat, et animam suam laqueo hujus pavoris illaqueat et necet; tum quia gratiam hominis, quem nimis expavit, non acquirit, sed hujus indignationem saepe incurrit, ac in malum, quod per humanum timorem declinare satagit, justo Dei iudicio incidit; tum quia in alia gravia corporis et animae damna impingit, quae velut laquei eum irretiunt et suffocant, ac praesertim quia laqueum aeternae damnationis et gehennae sibi innectit.

Est qui sic explicat, *q. d.* Quisquis hominum gratiam ambitiose accupatur, et illis serviliter displicere timet, ei permissis est qui collum suum inseruit laqueo, quia jugiter suspensus haeret, quando ex hominum voluntate, metu et studio placendi pendet; atque eo modo pealere, perinde est ac suspendi, et quasi assidue strangulari; qui timet enim, observat omnes ejus quem timet, nutus, gestus, verba, actus, et, si solito severiores viderit, angitur, trepidat, cruciatur; quare quot per diem habet laqueos, qui fauces non corporis, sed animae stringunt, et quasi strangulant. Idcirco apposite pavor et metus recte comparatur laqueo; sicut enim laqueus collum, sic pavor animam stringit et angit, ut vocem, spiritum, motum et vitam intercludat. Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm. lvi, 6*: « Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, » *q. d.* Timuerunt non timenda, metuerunt homines in quibus nil est quod justum metum cieat; « quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. » En triplex grandis ruina quam parit stadium placendi hominibus, scilicet omnium ossum contractio, confusio, et Dei aspernatio sive reprobatio, ait S. Bernardus (vel quisquis est auctor; stylus enim arguit non esse S. Bernardi) serm. *De Misera humana*.

26. MULTI ACQUIRUNT FACIEM PRINCIPIS: ET JUDICIUM A DOMINO EGREDITUR SINGULORUM. — Hebraice, *multi requirunt faciem dominantis, et a Domino iudicium viri*. Ita et Syrus, Chaldaeus, et a facie Domini iudicium viri; Septuaginta, *multi colunt facies ducum; a Domino autem fit iustum virum*.

Quaeres, quodnam iudicium singulorum, quod a Domino egreditur?

Primo, iudicium Hebraeis saepe idem est quod sors, conditio, status, fortuna. Unde Vatablus vertit, *a Domino proficitur sors uniuscujusque, vel fortuna et conditio, q. d.* Multi et magni, ait Aben-Ezra, ambiunt faciem. *vi est gratiam et benevolentiam principis, ut al. eo ad status, dignitates, officia et opes evehantur; verum a Domino pendet cuiusque sors, status et officium, cum illius sit cuique admitti suum gradum et honorem, suam dignitatem et vilitatem, suas opes et inopiam, q. d.* Ergo magis ambienda est facies, id est gratia et benevolentia Dei, quam principis. Deus enim est mundi rector, hominum arbiter, orbis oeconomus, officiorum distributor, statuum paritor, opum dispensator, qui cuique suam mensuram opum, honorum, officiorum admittit et dispensat, prout ipsi placentur. Deus etiam regit corda regum et principum, ut cuilibet eandem mensuram, quae ipsi placentur, distribuatur. Hoc est quod agnoscit et orat Psaltes, *Psalm. xxx, 16*: « In manibus tuis sortem meam, » *q. d.* Status, casus, eventus, vicissitudo rerum mearum, ut divitiae et paupertas, servitus et principatus, sanitas et infirmitas, honor et abjectio, pax et bellum, ait Theodoretus, hae, inquam, et qualibet aliae sortes, status et conditiones non a fortuna, nec a principibus, sed a tua, o Domine, providentia pendunt, reguntur et dispensantur; unde ab illa sorte meam postulo et expecto.

Hic sensus valde appositus et genuinus est, ad hanc gnomen necesse praecedenti, imo ejus dat causam, *q. d.* Ideo qui timent homines, corrueunt; qui vero timent et sperant in Domino, exaltantur, quia non hominum, sed Dei est cuique suam sortem bonam vel malam miseramque distribuere. Deus autem sperantes in se amat, ideoque bonam eis sortem dispensat, eosque sublevat et exaltat. Eos vero, qui se posthabito timent homines in eisque sperant, odit, ideoque eis sortem miseram attribuit, ut in multas erumnas corrueant. Nota: Requiere faciem principis vel Dei, est ambire et captare benevolentiam principis vel Dei. Hoc sensu ait Psaltes, *Psalm. xvi, 8*: « Faciem tuam, Domine, requiram; » et *Psalm. civ, 4*: « Quae sit faciem ejus semper, » et aibi saepe. Favor enim et benevolentia alicujus, in ejus facie vultusque sereno et benevolo apparet et respiciunt.

Secundo, iudicium vocatur id quod equum et iustum est, ut vertunt Septuaginta, *q. d.* Multi suae causae litisque jus et justitiam requirunt a principe, ideoque ejus faciem, id est benevolentiam, sibi conciliant, ut in iudicio rem rite pendentes, sibi adjudicet; at non animadvertunt iudicium, id est juris administrationem, iudicisque et principis sententiam pendere a Deo magis quam a principe. Quare, qui sapit, illam a Deo efflagit, ad quem iudicis jus spectat, cum princeps a Deo regatur, illisque quae Deus suggerit mentem accuciat;

commoedet, juxta illud cap. XXI, 1: «Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.» Ita R. Levi, R. Salomon et Jansenius qui sic explicat, *g. d.* Multi student placere principibus, qui tantum sunt iudices quorundam, et in quibusdam causis; ad multo magis querenda est facies, id est favor Domini, utpote a quo omnes et singuli sunt iudicandi, quique etiam iudicium iudicia examinabit, et, si injusta sint, retractabit, ac injuste damnatis suum jus restituet. Accedit et Salazar, qui *faciem requirere* accipit pro gratiam et favorem alicujus aucupari per munera, puta iudicem vel principem donis sibi conciliare vel comparare, juxta illud *Psal. XLIV, 13*: «Et filie Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.» *g. d.* Quomvis principes et magistratus muneribus inflexi injustam sententiam ferant, non ideo acta res est et causa perfecta; adhuc enim restat extremum illud iudicium, cui tam princeps, quam is qui illum donis corrupti, subijci oportet, ut ex jure absolvantur aut damnentur. Hoc autem est ipsis Dei severissimum et incorruptissimum arbitrium, quod effugere nulli integrum est.

Tertio, per iudicium aliqui accipiunt Dei iudicium extremum, *g. d.* Multi timent iudicia hominum et iudicium, ideoque eorum gratiam venantur: at hæc parvi momenti sunt; summi vero momenti est iudicium extremum, quod Deus feret de anima cujusque, ejusque meritis vel demeritis, ut eam adjudicet celo vel inferno per omnem æternitatem, de quo tamen homines parum cogitant et curant, *g. d.* Quanta dementia est exilia hominum iudicia vereri, et Dei iudicium, a quo pendet æterna nostra salus vel miseria, non formidare, ideoque ejus gratiam per bona opera non ambire! O vanitas! o stupor hominum! o mentes amentes!

Hic sensus cordatus est, pius et profundus. Extremum enim Dei iudicium antonomastice vocatur *iudicium, primo*, quia ultimum erit et summum, a quo nulla cadit appellatio; *secundo*, quia sincerissimum et æquissimum: in illo enim scrutabitur Deus Jerusalem in lucernis; *tertio*, quia efficacissimum et plane inevitabile: illico enim bonos consignabit celo, malos inferno; *quarto*, quia longissimum, immensum et æternum: durabit enim quamdiu durabit Deus per omnia sæculorum sæcula. Quis ergo non timebit te tuncque iudicium, o Rex sæculorum, in cujus manu est singulorum vita et mors, electio et reprobatio, salus et perditio, felicitas et infelicitas totius æternitatis? «Timeat ergo Dominum, omnes gentes, tribus, lingue et populi, pusilli et magni, et date illi honorem, quia venit hora iudicii ejus, et adorate eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquarum,» *Apoal. XIV, 7*.

27. ABOMINANTUR JUSTI VIRUM IMPIUM: ET ABOMINANTUR IMPII EOS QUI IN RECTA SUNT VIA. — Qui recte vivendi viam et consuetudinem inveniunt, ait R. Salomon, Hebraice, *justorum vir in-*

quitatis, et abominatio impij rectus via; Septuaginta, abominatio justus vir viro injusto; abominatio autem iniquo recta peregrina via.

Concludit Salomon hæc gnomo suas parabolas, qua instar S. Augustini, duas civitates constituit sibi contrarias, unam Dei, alteram diaboli; unam justorum, alteram impiorum, inter quas perpetua est lis et bellum. Justi ergo abominantur et insectantur impios, ac vicissim pii justos, tum ob morum dissimilitudinem et repugnantiam, tum quia iusti satagunt propagare regnum probitatis. Probitas ergo ne improbitati vieta succumbat, semper in armis excubare, et improbitatis satellites non tantum depellere, sed et expellere nitatur oportet; est enim inter utramque intersecinum odium et dissidium. Justi igitur non oderunt impios, sed eorum impietatem; impii vero oderunt justos, æque ac justitiam et pietatem. Unde Syrus vertit, *impij rectas semitas abominantur*. Hic est piorum et impiorum ἀπονομιὰς ἀπάρας, et irreconciliabile bellum. «Que enim participatio justitie cum iniquitate? aut que societas lucis ad tenebras? que autem conventio Christi ad Belial?» *II Cor. VI, 14*. Hinc dignoscat quisque an justus sit, an impius. Si enim impius et impietatem abominatur, justus est; sin pius et pietatem insectatur, impius est. Videat ergo quisque utrius regni civis sit, pietatis an impietatis, Dei an diaboli. Fructum et finem subdit, quod regni impietatis terminus sit perditio, pietatis vero liberatio a perditione. Hujus gnomo similem audivimus *cap. XXI, 8*: «Perversa via viri, ait, aliena est; qui autem mundus est, rectum opus ejus.»

VERBUM CUSTODIENS FILIUS, EXTRA PERDITIONEM ERIT. — Hic versus desideratur in Hebræo, Chaldeo et Septuaginta Complutensibus. Transcriptus est ex Septuaginta Vaticanis qui eum habent *cap. XXIV, in fin. vers. 22, ante Hæc quoque sapientibus.*

Igitur hæc gnomo est quasi coronis et clausula Parabolæ Salomonis, significans earum fructum et præmium, ut hoc quasi epiphonemata opus suum concludat, omnibusque commendet, *g. d.* Quicumque hæc mea parabolæ verba, id est monita, dogmata et præcepta mente custodierit, ut ea opere exerceat, et juxta ea omnes suos actus componat et dirigat, hic evadet perditionem impij ea prævaricantibus paratam in genena, atque felicitatem gloriamque sempiternam ab æterno pii legem Dei (quam hisce parabolis complexus sum) servantibus decretam consequetur. Quam ergo cuique chara est anima, animeque salus æterna, tam chara sint et hæc mea verba et præcepta: hæc enim indicant viam rectam in cælum ad salutem et felicitatem perennem, juxta illud *cap. XII, 28*: «In semita justitie, vita; iter autem devium ducit ad mortem.»

Citat hæc gnomen S. Augustinus, lib. *De Mendacio ad Consentium*, *cap. xviii*, et nonnulla addit, que fere consonant cum his que habent Septua-

ginta Vaticani, *cap. xxv, 22*. Sic enim habet Augustinus: «Verbum excipiens filius a perditione longe aberit; excipiens autem excipiet illud sibi, et nihil falsi de ore illius procedit.» Pro quo Vaticanis, *cap. xxiv, 22*, habent, *nihil falsi de ore regis dicatur, et nihil falsi ex lingua ipsius exeat*: pluraque addunt, que regem concernunt, quorum sensum reddidi *cap. XIV, 22*. S. Augustinus vero omisso *et nihil falsi de ore regis dicatur*, sequentia, scilicet, *nihil falsi ex lingua ipsius exeat, vel, ut ipse legit, exit, sive procedit*, attulit filio excipienti verbum, quasi non regi, sed cuilibet hæc dicantur, ad commendandum studium veritatis et odium mendacii, scilicet ut probet nunquam licere mentiri: unde per verbum accipit Christum, qui est veritas. De eo igitur ipse sic exponit: «licet aliquis non aliud hic accipiendum esse quod positum est: Excipiens verbum filius, nisi Verbum Dei, quod est veritas. Ergo excipiens veritatem filius a perditione longe aberit, referturque ad illud quod dictum est: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quod vero sequitur: Excipiens autem excipit illud sibi, quid aliud insinuat, nisi quod Apostolus dicit: Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gratiam, et non in altero? Qui enim excipit verbum,

id est veritatem, non sibi, sed ut hominibus placeat, non eam custodit cum eis videt posse placere mendacia. Qui autem excipit sibi, nihil falsum de ore ipsius procedit, quia etiam cum placeat hominibus mendaciam, non mentietur ille qui veritatem non qua illis, sed qua Deo placet, excipit sibi. Itaque non est cur hic dicatur: Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium.»

Igitur mens S. Augustini est, Verbum Dei esse Christum qui est veritas, ac proinde eum qui Christum custodit, custodire pariter veritatem, ut sit verax tam sermone quam opere; ideoque talem tam longe abesse a perditione, quam abest Christus qui est Jesus, id est Salvator, ipsaque salus et vita, juxta id quod Judeis ait Christus, *Joa. VI, 40*: «Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die;» et *cap. VIII, 24*: «Si non creditis quia ego sum, moriemini in peccato vestro;» et *vers. 31*: «Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum;» et *cap. XVII, 3*: «Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.» Hic sensus sublimis est, sed mysticus potius quam literalis.